

tamen illis de ea re tanquam dubia agere liceret. Quaecumque vero fuerit ratio cur res amplius dubia non esset, illud certe constat, Patres in Concilio Chalcedonensi, quibus fides Nicaena declarata fuerat a Leone in sua epistola dogmatica, quique secundum eam iudicare dehebant, sententiamque ferre circa eam doctrinam, quam antiquae Nicaenae Synodi constitutum appellat Leo, et potuisse examen instituere, et non potuisse dubitare de rei veritate. Itaque huiusmodi distinctio duplicis examinis obiectiva est et verissima.

Iam vero in hypothesi quod Romanus Pontifex ex cathedra sententiam suam tulerit, non aliud examen licere Episcopis manifestum est. Si enim definitio eius est ex sese infallibilis et irreformabilis, repugnat ut de ea amplius liceat dubitare; sed est irretractabili firmando assensu, ut ait Leo epist. cit. ad Theodoretum (quae nostro prius ministerio definiverat (Deus) universae fraternitatis irretractabili firmavit assensu). Quibus verbis non significat Leo tunc doctrinam Pontificis evadere irretractabilem cum accesserit consensus Episcoporum; nam non doctrinae ab Episcopis traditae, sed eorum assensu tribuit hoc praedicatum Leo: porro assensus tunc est irretractabilis, cum doctrina, cui adhaeret mens, iam est ex se irrefragabilis; et ideo irretractabili assensu firmando est, quia est ea in se irretractabilis, h. e. non amplius tanquam dubia tractanda: et sane talis esse dicenda est quam definivit Deus.

Huius vero examinis ius Episcopos in Concilio habere constat. Sunt enim iudices, atque in Synodus vocantur non solum ut credant, sed etiam ut iudicent sententiamque suam fidelibus universis authentice proponant: iudicium vero ferendum est cum cognitione causae; ius ergo habent cognoscendi motiva quibus veritas docenda stabilitur. Praeterea sunt ipsi magistri authentici qui doctrinam a Pontifice propositam docere fideles suos eamque probare ac vindicare debent; id autem sine huiusmodi examine praestare nequeunt; cum ergo ipsis sit debitus finis, ad medium quoque ius habent. Ex quo etiam eorum officium liquet, debent enim authentici doctores ita comparati esse, ut sciant declarare veritates fidei, easque probare et vindicare.

VIII. Examini succedit suffragium quo doctrina probatur. Suffragium Episcoporum, examine peracto, reque, ut par est, cognita, dicimus debitum esse quoad specificationem actus in illud quod Pontifex definivit, si eius sententia praecessit; et quoad exercitium, si idem Pontifex vult illud, de quo examen institutum est, definiri. Ratio est quia praecedente sententia Pontificis, res ab eo definita est certe vera; adhibito examine illucrior notitia motivorum eius obtenta est: quare nisi per accidens quis quavis ex causa hallucinetur,

omnibus veritas manifestissima esse debet. Atqui iudex a superiore ad iudicandum vocatus, sedens ut iudex, postquam causam cognovit, tenetur tum, quoad specificationem actus, secundum rei veritatem cognitam iudicare, tum, quoad exercitum actus, tenetur sententiam ferre, nec potest eam suspendere. Neque id obest libertati iudicij: neque enim libertas iudicij in eo est, quod iudex pro libitu suo sententiam ferat quae ei placet, et cum placet; sed quod permittatur iudex secundum normam veritatis et iustitiae iudicare, nulla adhibita extrinseca causa, quae avertens eius animum ab amore veritatis et iustitiae, pervertat quoque sententiam suam. Unde tunc maxima est libertas iudicij, cum et causae corruptivae rectitudinis affectuum removentur, et uberrima copia cognitionum pro inquisitione rei suppeditatur. Ipsa autem lex naturalis honestatis postulat a iudice ut iudicet secundum veritatem, atque ut sententiam ferat cum officium iudicandi sibi assumpsit, causamque cognovit, si praesertim id partes postulent, aut superior iubeat. Itaque suffragium Episcoporum probans doctrinam Pontificis, examine instituto, debitum est.

IX. Suffragium autem ferentes Episcopi simul cum Pontifice, sive Pontifex antea proposuerit quid credendum sit, sive postea accedat consensu suo, illud Episcopi tum omnes tum singuli vere definiunt auctoritate sua. Definitio enim est actus auctoritatis docendi et iudicandi in causis fidei, docendi, inquam, fideles et sententiam iudiciale ferendi erga ipsos fideles: hanc autem auctoritatem habent Episcopi, quam proinde exercentes vere definiunt; licet haec definitio per se sola seorsim spectata sit incompleta seu imperfecta, sicut incompleta est eorum auctoritas docendi. Etenim definitio doctrinae quae testificatione asseritur, quaeque est authentica approbatio doctrinae concilians ei fidem penes discipulos, tum completa esse potest, tum incompleta. Quemadmodum enim duplex distinguitur sententia iudicialis, altera vere iudicialis sed appellabilis, altera iudicialis et peremptoria: ita duplex est definitio distinguenda respondens dupli potestati judiciali. Definitio completa seu peremptoria propria est per se Romani Pontificis. Quoad ceteros autem Episcopos, etsi omnes doceant, nondum existente tamen consensu vel suffragio Romani Pontificis, quoniam haec universorum sententia adhuc indiget confirmatione, quae vim et robur illi addat; hinc nondum eorum magisterium est definitio peremptoria, sive ea authentica approbatio doctrinae quae fidem exigat: quamvis certitudinem quamdam ea lignere possit, cui temerarium sit repugnare. Cum vero Episcopi simul docent cum Romano Pontifice, et ab eo assumuntur in consortium suae supremae auctoritatis docendi universam Ecclesiam, tum suffragium eorum sub dupli respectu rursus considerari potest:

absolute secundum valorem quem habet propter propriam auctoritatem singulorum etiam simul sumptorum, relative prout est elementum unius definitionis et confirmationis universalis, quae est definitio et confirmatio conciliaris. Si priore modo spectetur, eorum suffragium est definitio incompleta confirmans confirmatione authenticā quidem sed nondum irrefragabili doctrinā. Si altero spectetur modo, quoniam uniuntur simul cum Romano Pontifice, et ex omnibus simul unus existit actus definitionis conciliaris quae peremptoria est, Episcopi omnes simul cum Romano Pontifice vere definiunt peremptorie, quia vere sunt simul cum ipso causa illius unius actus qui est definitio Conciliaris. Diverso tamen modo: nam Pontifex *per se* peremptorie definit, Episcopi propter ipsum Pontificem. Itaque omnes Episcopi auctoritate sua definiunt vere, si definitio generice spectetur: prout vero specificē sumitur pro definitione peremptoria, ita quoque definiunt quatenus simul docentes cum Romano Pontifice edunt cum eo actum, qui est definitio irrefragabilis et peremptoria doctrinæ. Itaque peremptorie definiunt non *per se* sed *per Rom. Pontificem*.

Ratio huius assertionis ea est quam statuimus in praeced. Thesi. Nam infallibilitas coetus Episcoporum est tandem participata: magisterium enim ceterorum Pastorum est magisterium confirmandum a magisterio Petri, qui Pastor est et Confirmator Pastorum omnium etiam simul sumptorum.

X. Ex hactenus disputatis colligere licet quaenam sit dignitas et auctoritas Episcoporum in Concilio. Etenim patet 1º Episcopos in Concilio vere esse iudices; et quidem cum Episcopi praeverunt suffragio suo sententiam Pontificis, nulla est specialis difficultas, sed satis sunt dicta superius n. VI. Verum et cum sequuntur Pontificem praeformantem doctrinam, iudices agere manifestum est. Nam a) eorum actus consequens idem manens quoad substantiam potuisset praecedere, porro si fuisset tunc actus judicialis, erit et modo. Praeterea b) Episcopi 1) instituto examine causam cognoscunt ex auctoritate quam habent custodiendi, vindicandi, et docendi fidem: 2) ex eadem auctoritate, extensa quidem per Pontificem ad universam Ecclesiam, attamen ipsis quoad certam partem gregis propria, et per quam iure divino sunt idonei ad hanc amplitudinem auctoritatis accipiendam, sententiam ferunt, doctrinamque confirmant cum Romano Pontifice: et 3) ex eadem auctoritate sententia eorum procedens fertur in subditos fideles qui eos audire debent: unde 4) per consensum Episcoporum existit sententia conciliaris, quae est certe iudicialis.

Quare differt prorsus sententia Episcoporum a sententia aliorum, puta theologorum, quae praeverat, vel accedat definitioni Pon-

tificis. Isti enim non ex auctoritate iudicant, nec sententiam ferunt in subditos, nec eos tenentur fideles audire; nec per ipsos authenticę definitur, confirmatur, vindicatur doctrina fidei. Quare etsi illos sibi associaret Pontifex, non haberetur nisi auctoritas unius docentis: auctoritas nempe Pontificis: auctoritas inquam illa docendi, quam Christus ipse instituit, cum magisterium authenticum instituit. Nec dicas exinde sequi quod infallibilitas Episcoporum non sit nisi infallibilitas discipulorum: ideoque eam non differre ab infallibilitate ceterorum fidelium; vel in quo ergo differt? Nam certum est ex probatis in superioribus, quod Episcopi vel simul sumpti se habent ad Romanum Pontificem ut oves pascendae, ut fratres confirmandi, ut columnae aedificii sustentandae a fundamento; ideoque ita sunt Pastores ut sint etiam oves, ita regunt ut etiam regantur, ita docent ut etiam doceantur. Duplex haec habitudo Episcoporum est ob oculos habenda, si rite oeconomiam Ecclesiae intelligere velimus. Cum igitur et ipsi sint regendi et docendi, nequit infallibilitas ipsis per se competere; cur enim docendus sit qui ex se est infallibilis? Si ergo totus quoque Pastorum coetus pascendus est a Romano Pontifice, ille ex se seorsim a magisterio Romani Pontificis nequit esse infallibilis. Episcopis tamen competit infallibilitas alia ac ea quae competit fidelium coetui. Huic namque competit infallibilitas *passiva*, illis vero infallibilitas *activa*. Etenim competit ipsis infallibilitas propria magisterii authenticæ, quae toti magisterio promissa est, quaeque est ratio infallibilitatis ceterorum: ita tamen toti magisterio competit infallibilitas, ut immediate et absolute insit Romano Pontifici, mediate et sub conditione ceteris, si nempe cohaereant cum magisterio illius, si ab eo confirmentur, si ab eo pascantur.

Dices: si ita est, potuit ergo Romanus Pontifex ex se solo suam definire infallibilitatem. Id vero concedimus, imo contendimus. Et primo quidem id concedi debere manifestum est. Etenim 1) si Ecclesia potest suam definire infallibilitatem, cur non poterit Pontifex? 2) Si potest Pontifex conciliariter definire, potest et ex se solo: infallibilitas enim definitionis conciliaris est ipsa infallibilitas Pontificis, visque irrefragabilis definitionis conciliaris ontologice pendet a definitione Pontificis, quatenus haec ex se est infallibilis, suamque infallibilitatem communicat consensui celerorum. Nec alia definitio conciliaris concipi potest, quae non hoc modo innitatur auctoritati Romani Pontificis. Qui ergo obedivit definitioni conciliari (et quis catholicus non obedire debuit?) debuisse quoque acceptare definitionem solius Pontificis, fideique obsequium ei praestare.

Verum difficultas quaedam existit, quia videretur tunc habere locum petitio quaedam principii. At reapse non est ita. Sane 1) ea-

dem difficultas fieri posset, si Ecclesia explicite definiret suam infallibilitatem: et tamen quis non videt Ecclesiam posse suam infallibilitatem explicite definire? cur enim hoc dogma quod deposito revelationis certe continetur, excludetur a censu eorum circa quae magisterium Ecclesiae sententiam suam ferre potest, cum omnis veritas revelata obiectum sit magisterii Ecclesiae? Nec ulla est heic petitio principii. Satis est enim supponere principium aliquod universalius, nempe magisterium Ecclesiae esse magisterium divinitus institutum, cui omnes homines credere debent, ut salvi fiant: quod motivis credibilitatis certum est rationi. Hoc posito scimus credendum esse magisterio huic in iis omnibus quae tanquam sibi a Deo tradita docet, iusque illi esse docendi quidquid a Deo revelante accepit; in quo infallibilitas quoque sua, quod nemo negat, continetur. In hoc processu rationis infallibilitas magisterii iam tenetur cum tenetur ipsum esse magisterium divinum, est enim illud ab hoc inseparabile: existente vero speciali actu eiusdem circa suam infallibilitatem, fides illa divina, quae propter motiva credibilitatis habebatur, confirmatur rursus, efficiturque *divina catholica*, cuiusmodi est fides quae veritatibus a magisterio Ecclesiae propositis adhibetur.

2) Quoad Romanum vero Pontificem definitiorem suam infallibilitatem, satis esset supponere quod certissime creditur in Ecclesia, quod et Gallicani profitebantur, quamvis quidquid eo continetur, recipere nollent; scilicet Romanum Pontificem esse Petram Ecclesiae, esse Pastorem et Doctorem omnium, universam Ecclesiam obedire debere Romano Pontifici: hoc enim posito consequens est decreta etiam fidei ab eo lata obligare omnes, credendumque esse ab universa Ecclesia quod ipse docet, idque iure divino; ideoque et credendam eius infallibilitatem, si eam definit. Quare infallibilitas Romani Pontificis et implicite crederetur cum creditur ipsum esse Ecclesiae Petram, et explicite colligeretur theologicamente ex iis principiis, ac tandem propter auctoritatem ipsius supremi Pastoris obligantem omnes, cum noscent fideles imo universa Ecclesia se obedire debere illi ab eoque pasci, crederetur quoque fide catholica eius infallibilitas, si decretum fidei de ea re Pontifex solus ederet.

Et ut ob oculos res ponatur, fac Romanum Pontificem ex se solo definitivisse suam infallibilitatem et doctrinam hanc proposuisse tendam ab universa Ecclesia sub poena negatae suae communionis iis qui nollent obedientiam fidei praestare: quid censes putaturam fuisse Ecclesiam sibi integrum esse? an detrectare fidem? verum quo abiisset unitas inter Petrum (quae est ipse sedens in cathedra Romana) et aedificium? quo fides illius dogmatis: Romanum Pontificem esse Pastorem et Doctorem omnium Christianorum? Scilicet

sensisset universa Ecclesia ex ipsa sua insita dependentia, ex divina institutione, a Romano Pontifice, necessitatem sibi incumbere credendi: et idcirco sola definitio Pontificis fuisse satis pro definitendo hoc dogmate in Ecclesia.

Et re quidem vera proprium est auctoritatis cuiusque supremae suas praerogativas affirmare, iudiciumque eius est irrefragabile. Id ergo et voluit Christus in Ecclesia sua: suprema autem auctoritas in Ecclesia est penes Romanum Pontificem. Voluit ergo Christus ut ipse irrefragabiliter iudicium ferre posset de suis praerogativis, ideoque et de infallibilitate, an ei competit, nec ne. Porro id nobis satis est ut credamus testanti Pontifici suas praerogativas, ipsamque infallibilitatem; credendum est enim illi, cui Deus vult credi.

Ceterum advertendum est non accurate loqui eos qui dicunt Catholicos credentes doctrinam definitam in Concilio Vaticano, non inniti nisi testimonio solius Pontificis. Si quis velit ei inniti, id quidem satis est, ut modo declaravimus. Verum non est id necesse. Distinguendum est enim inter infallibilitatem Concilii obiective in se spectatam, et subiective quoad nos. Si obiective in se spectetur, verum est infallibilitatem Pontificis esse rationem infallibilitatis ceterorum, eamque proinde antecedentem esse natura infallibilitati ceterorum. Si autem subiective quoad nos spectetur, notior erat infallibilitas Concilii seu Pontificis cum Episcopis docentibus, quam Pontificis solius; ideoque ab illa ad istius notitiam progressus fieri poterat. Iam vero id contigit per definitionem vaticanam. Testificationi ergo totius Concilii non solius Pontificis credimus, cum infallibilitatem huius credimus vi definitionis vaticanae.

(De Conc. 2^a)

THESIS XXVIII.

Nullum est proinde essentiale discrimen inter definitionem editam a solo Romano Pontifice et definitionem conciliarem, sed tantum accidentale. Quare Concilium oecumenicum nunquam est simpliciter necessarium; utile tamen et secundum quid necessarium non raro esse potest.

I. Essentiale discrimen inter utramque definitionem sumendum est ex parte *valoris actus*, est enim utraque sententia iudicialis ecclesiastica obligationem inducens assensus in rebus fidei vel morum: porro cum idem sit obiectum, et utraque sit potestas ecclesiastica, nequeunt essentialiter differre nisi ratione valoris actus, et idcirco potestatis a qua oritur valor actus. Porro ex dictis manifestum est valorem utriusque definitionis esse essentialiter eundem, et ab eadem